

**Disputatio de dentibus prima: continens ... / proposita à Melchiore Sebizio,  
... respondentе Zacharia Andreea.**

**Contributors**

Sebisch, Melchior, 1578-1674.  
Andreas, Zacharias, active 1644.

**Publication/Creation**

Argentorati : Typis Eberhardi Welperi, M. DC. XLIV. [1644]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/ctk76eye>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO  
DE  
**D E N T I B U S**

Prima:

*Continens ὄνοματολογίαν, & πραγματολογίας partem primam,  
quæ de Dentium quidditate & quatuor  
causis agit:*

In alma Argentoratensium Universitate  
publici exercitiij gratia proposita

à

MELCHIORE SEBIZIO, MED-  
CINAE DOCTORE AC PROFESSORE,  
Comite Palatino Cæsareo, & Reipubl.  
Archiatro:


RESPONDENTE  
ZACHARIA ANDREÆ,  
COLMARIENSI.




ARGENTORATI,  
Typis EBERHARDI WELPERI,

---

M. D. G. X L I V.



THESES I.



Ristoteles libris 4. de partibus animalium acromaticam, h.e. accuratam & scientificam aggressurus animalium tractationem, (libris enim de historia animalium exotericam & popularer tantum instituerat) lib. 1. cap. 5. ejusdem operis pollicetur, se non solum de nobilioribus & perfe. etioribus, sed etiam de vilissimis & abjectissimis acturum esse animalibus: idque duabus potissimum de causis. Primum, quia etiam talium animalculorum speculatio miras in hominum animis, qui causas nōrunt, & ingenuè philosophantur, voluptates excitat. Deinde, quia nulla res est naturalis, in qua non mirandum aliquid inditum habeatur. Esse enim in omnibus naturæ quoddam numen, & pulchrum honestumq; ingenium: cùm nihil in iis fortuitò & casu, sed omnia certi alicujus finis gratia peragantur: finis autem sic comparatus sit, ut boni honestique rationem habeat.

II. Cùm igitur summus Philosophorum Dictator etiam illæ animalcula, quæ parvi ponderis atque momenti esse à plerisque putantur, ob causas enumeratas magni fecerit, dignissima que judicarit, quæ in Physica scientia explicitentur: meritò & nos minimas quoque corporis nostri particulas, in quibus haud multum situm esse vulgo creditur, ob easdem causas in honore ac pretio habere, earumque doctrinam venerari ac suspicere tenemur.

III. Illarum in albo cùm DENTES reponantur, non, opinamur, malè audiemus, neque pingere cucurbitas dicemur, si paulò & prolixius, & accuratiùs de iis disseruerimus.

IV. Etsi enim oſſicula videantur levidensia, quæ neq; omni-  
bus animalibus ſint data: neq; quibus data, mox ab ortu, ut pareſ  
alie, conſpiciantur: inſuper & multis ſine viſe, aut ſanctatus jactu-  
ra excidant: Galenuſ tamen l. 11. uſ. part. c. 8. & 9. Summoperè  
ſtructuram illorum admiratur, magnificeq; Protoplaſta & Natu-  
ræ Sapientiam, Providentiam, Artificium, Iuſtitiam & Aequita-  
tem in eorum fabrica depreſdicat: falſiſſimumq; illorum eſſe com-  
mentum oſtendit, qui ex fortuito ſolum atomorum concuſu gene-  
ratos eos eſſe perſuafum habuerunt.

V. Huc accedit & iſta fuſceptæ tractationis ratio: quoniam  
Medicorum auxilium dentium cauſa ſapifißimè imploratur: tūm  
ut dentes male affecti curentur: tūm ut bene ſe habentes ſuo in  
ſtu conserventur, & ab imminēntibus vitiis præſerventur.

VI. Etenim bona illorum ſalubrisque conſtitutio ma-  
ſticationi ciborum, quæ χυλώſewç præparatio quædam eſt, pluri-  
mūm commodat. Nitor, cujuſ ſexus fæmininus, præſertim in fa-  
miliis Magnatum, eſt ſtudioſiſimus, venuſatem & elegantiam  
oris vehementer commendat. Præſentia dentium inciforio-  
rum ad literas quasdam bene exprimendas, & locutionem recte  
formandam, ſumme neceſſaria eſt: Hæc quippe vox eſt articulata,  
quæ certi aliquid ſignificat. Ejus verò articuli ſecundum Aristo-  
telem lib. 4. hist. an. c. 9. & l. 2. part. an. cap. 16. & 17. ſunt  
literæ, vocales & conſonantes: quæ ut decenter pronuncientur,  
partes oris, fauces nimirūm, columella, palatum, lingua, dentes  
primores & labia ſecundum naturam ſe habere tenentur, quo-  
niam instrumenta ſunt locutioni dicata.

VII. Differemus ergo de dentibus confidenter & intrepi-  
dè: & differemus de illis theoricè & practicè. Et theoricam  
quidem partem iterūm in generalem & ſpecialiem subdivide-  
mus: in illa tūm ὄνοματολογίav, tūm τρεψυματολογίav declaraturi:  
ubi & de natura, & de ſtructura, & de plurimiſ dentium acci-  
dentibus dicendi locus erit: in hac ſingulas eorum ſpecies, ſive diſ-  
ferentias exposituri.

In par-

In parte vero practica primum dentium affectus praeter naturam, eorumque causas & curationem proponemus. Deinde quomodo dentes naturaliter constituti conservari, & a vitiis preservari debeant, significabimus.

VIII. Dentis vocabulum quod attinet, est id ex illorum numero, quæ τολύσημα καὶ τολλαχῶς λεγόμενα dicuntur. Ideoq; opera pretium est, ut ejus significata ante omnia recenseantur.

IX. Invenimus autem quinq; illius significaciones: duas apud Medicos: tres apud Scriptores alios.

X. Prima Medicorum propria est, nostrisq; instituti: quae dens pro illa corporis parte accipitur, quæ ad comminuendos cibos solidiores est comparata.

XI. Hoc in significatu dens dicitur quasi edens: Gracè ὁδός, à verbo ἔδω, quod Latinis est comedo: videturq; Isidoro lib. II. Orig. cap. I. Latinos dentis nomen à Græcis traxisse.

XII. Secunda impropria, & ab Anatomicis introducta. Nam processum illum oblongum & rotundum, quem secunda cervicus vertebra, ἐπιστροφεὺς, à vertendo dicta, quod circa eam caput vertatur, emitit, & per medium vertebrae primæ foramen in caput immittit, eiq; valido ligamento alligatur, dentem vocant, quod canino hominis denti quadantenus similis sit.

XIII. Hic processus, ut Galenus lib de ossib. c. g. doceet, etiam απόφυσις τύπενοειδῆς, ob figuram turbinatam, appellatur. Dicitur & a quibusdam απόφυσις ὀδούλοειδῆς, propter causam albatam. Hippocrates l. I. epid. f. 2. totam secundam vertebram dentem nominavit.

XIV. Tertia synechdochica, quæ apud Tibullum legitur. Dens quippe clavem sōnat: non quod clavi per omnia similis sit: sed quod clavis dentes habeat.

XV. Quarta generalior est. Etenim Non. Marcellus cap. 6. scribit, dentem accipi pro omni eo, quo aliquid teneri, vel resecari potest. Hinc Virgilius lib. 6. Aeneid. dicit, an ho-  
ram dente tenaci navem fundare. Et libr. 2. Georgic. ait,

agricolam relictam vitem curvo Saturni dente attondere, & pa-  
zando fingere.

XVI. Quinta apud Plinium legitur lib. II. c. 37. Ibi  
namqe tradit, Scorpioni & aliis quibusdam animalibus dentes, h.e.  
aculeos, esse in cauda. Sed & ista significatio valde est & xpo.  
Magna quippe differentia est inter aculeos & dentes, eaque figu-  
ra, usus, & aliarum qualitatum ratione.

XVII. A dentibus variae res nomenclaturam suam accepe-  
runt: nempe ὁδονήγλωσσα, dentiscalpia, quibus ea, quae dentibus  
inharent, eximuntur: ὁδονήστριμητά, dentifricia, quibus den-  
tes fricantur: suntqe, potissimum pulvisculi, qui pro vario usu ex  
variis remedii concinnantur: scil. ut vacillantes dentes firmen-  
tur, ut nigri dealbentur, ut dolores sedentur &c. Ὁδονήγρας,  
instrumenta ad evellendos dentes comparata: dentarpaga, ὁδο-  
νταγωγὰ, dentiduca à nonnullis nominata: dentifrangibula, ut  
Plautus in Bacch. loquitur, organa, quibus dentes confringun-  
tur: ὁδονήστις, sive ὁδονήφυια, dentium in præsepiolis maxilla-  
rum genitorum eruptio: dentire, h. e. dentes emittere: Dentatus,  
qui magnos dentes habet, ut Labio, Capito, Fronto, Naso, cui la-  
bia crassa, caput magnum, frons lata, nasus oblongus est: vel qui  
cum dentibus natus: ut apud Plinium l. 7. c. 16. N. H. M. Cu-  
rius, & Cn. Papyrius Carbo: vel etiam μεταφορικῶς, qui mor-  
dax est. Vnde & à Cicerone charta dentata vocatur scriptum  
acre, mordax, rodens, pungens & vellicans. Edentatus, sive  
edentulus, qui dentibus caret, ut senes & vetulæ, & quibus illi  
ob crebras à capite defluxiones, aliámve causam exciderunt.

XVIII. Quid verò dentes sint, non eodem modo ab omni-  
bus explicatur.

XIX. Author definitionum medicinalium scribit,  
dentes esse, qui cibum dividant atqe conficiant, & nonnihil etiam  
ad vocis articulationem, h. e. ad locutionem conferant.

XX. Hac in definitione usus quidem & officium den-  
tium exprimitur: genus autem omittitur. Id verò à Galeno  
libr.

libr. de ossib. cap. 5. ponitur. Dentes enim sub ossibus complectitur.

XXI. Possent igitur nostro iudicio dentes hunc in modum definiri. Dentes sunt ossa siccissima, durissima, solidissimaq; ex terrena crassaq; materia in alveolis utriusq; mandibula, cum quibus per γόμφωσιν articulantur, à facultate plastica eum in finem genita, ut cibos solidiores partim dividant, partim confringant, partim quasi conterant & molant, & insuper etiam nonnihil ad locutionem conducant. Quem tamen postremum usum tantum de primoribus dentibus intelligi volumus, sicut infra dicturi sumus.

XXII. Utrum verò pro ossibus haberi debeant, etiam priscis seculis quasi sum fuit.

XXIII. Galenus lib. de ossib. cap. 5. refert, quosdam Sophistas dentes pro ossibus minimè agnovisse. Pro quorum stabilienda sententia sequentia produci possunt argumenta.

XXIV. Quia ossa sensu carent: dentes sentiunt: Galen. lib. 16. us. part. cap. 2.

Quia ossa statos & certos accretionis terminos habent: dentes ad extremum usque senium crescunt: Galen. l. 5. de compos. med. κ. τοπ. c. 8. Aristot. 2, gen. an. 4.

Quia ossa deperdita non renascuntur: Hippocrat. aphor. 19. l. 6. in locum autem amissorum dentium succedunt alijs, ut docent puerorum secundi, qui primos, qui amissi, sequuntur,

Quia ossa teguntur periostis: dentes nudi sunt, nullo tegmine velati.

Quia ossa medullam continent, quæ illorum est pabulum, ut Hippocrat. in calce lib. τερπὶ τροφῆς docet: dentes nullam.

Quia ossa sunt porosa: dentes solidissimi durissimique, & ita quidem, ut à lapide σαρκοφάγῳ appellato minime consumantur: cùm istamen reliquum totum corpus intra dies 40. depascatur: quemadmodum Scaliger exercit. 291. sect. 2. testatur. Notat quoque Plinius lib. 7. cap. 16. solos dentes invictos esse ignius, nec cremari cum reliquo corpore. Flammis esse indomitos.

& ca-

& cavari pituitæ tabe. Sunt ossibus duriores: Celsus lib. 8. c. 1.  
Imò lapideam substantiam habent: Galenus libr. 5. compos.  
med. 4. tōt. cap. 8.

Quia ossa frigido exposita aëri Μελασμὸν, nigrorem acqui-  
runt. Frigidum enim iis inimicum esse, inquit Hippocrates  
aphor, 18. sect. 5. Ratio est: quia ossa ob exanguem naturam fri-  
gidas sunt. Ideoq; caloris sui, qui exiguus est, jacturam facile ab  
externo frigore patiuntur. At dentes nil offendere à frigido acci-  
piunt: ut probant, quibus os ferè semper patet: & quibus labia  
sunt leporina, Hasenscharten appellata.

Quia ossa cetera in prima constitutione gignuntur omnia;  
neque est, quod post oriatur. At qui dentes post enascuntur:  
Aristot. lib. 2. de gen. animal. c. 4.

Quia dentes non illos usus præstant, quos præstare ossi: Hip-  
pocrates libr. de ossib. scribit. Neque enim τὴν ὁρθότητα, re-  
ctitudinem, neq; τὴν σάσιν, stabilitatem, neq; τὸ εἶδόν, formam,  
sive figuram corpori præbent.

Quia dentium longè alia structura est, quam reliquorum os-  
sum. Nam & pituitosum quendam succum suo in sinu continent;  
& nervos habent: & radicibus prædicti sunt: quidam duabus,  
quidam tribus, quidam quatuor, ut infra significabimus: hisq; ra-  
dicibus alveolis mandibularum, veluti clavi, sunt infixi.

Quia nullum os ex alimento alterius ossis generatur. At den-  
tes gignuntur ex illo alimento, quod in ossa, b.e. in maxillas di-  
stribuitur: Aristot. lib. 2. gen. an. c. 4. in fine.

Quia omnia ossa à primo ortu usq; ad interitum corporis per-  
severant, majoremque indies soliditatem adipiscuntur. Dentes  
contrà orti decidunt, rursusq; solidiores durioresq; renascuntur:  
ut patebit ex iis, quæ infra proferentur in medium.

Quia ossa firmantur per indurationem cartilagineæ substanc-  
tia. Dentes ex conversione mucoris in dentium substantiam,  
nullo interveniente medio. Dens igitur os non est: sed corpus pe-  
culiare, osse durius, solidius, & candidius.

Quia

Quia dentes nonnullis affectibus tentantur, quibus reliqua ossa non sunt obnoxia: utpote hamodia, inflammatione, dolore pulsatorio &c.

XXV. Quodsi Hippocratis monumenta percurramus, videtur ex iis quoque probari posse, dentes in ossium censu minime contineri.

XXVI. Etenim aphor. 18. sect. 5. scriptum reliquit, frigidum inimicum esse ossibus & dentibus. Quodsi persuasum habuissest, dentes ossa esse, utique illos ab ossibus minimè seclusisset. Nunquam enim ταῦλον Θεοῦ fuit: sed semper Φιλοσύνη Θεοῦ: nihilque frustrà dixit, elogio Galeni l. 2. de clem. c. 3. & l. 8 de us. part. cap. 6.

XXVII. Libro de carnib. in medioferè docet, dentes reliquis ossibus esse duriores: nihilq; frigidi illis inesse. Et primos quidē dentes nasci in utero, poste à lactenti puerō provenire alios à lacte: tandem, ubi hi exciderint, novos à cibis ac potibus oriri: excidere autem, cùm ad annos primi alimenti pervenerint. Quibusdam etiam priùs, si ex morbido nati fuerint alimento. Plurimis verò, cùm septem annos impleverunt. Qui verò poste à enascuntur, simul consenescere, nisi præ morbo perforentur. At qui omnia ossa, cùm terrenæ sint naturæ, frigidum in se continent plurimum. Ossa omnia ex una eademq;, non ex triplici, gignuntur materia. Deniq; nulla semel amissa renascuntur.

XXVIII. Aristoteles variè de natura dentium locutus videtur. Nam lib. 2. de gen. an. cap. 4. dicit, dentes μὴ τὴν αὐλὴν ἔχειν Φύσιν τοῖς ἄλλοις ὄγοις, non habere eandem naturam cum ossibus aliis. Rationem adfert triplicem. I. Quia cetera ossa in prima formatione gignuntur omnia: neq; est, quod post oriatur. Dentes autem post enascuntur. II. Quia dentes, posteaquam deciderunt, denuò oriri queunt. III. Quia ossa solum tangunt, non continuantur.

XXIX. Idem tamen mox subdit, cum dentes ex illo gi-

gnantur alimento, quod in ossa administratur, eandem quam ossa  
naturam habere.

XXX. Libro i. histor. an. cap. ii. afferit, dentes esse  
os̄eiv̄ḡs, os̄eos: sed categoricē minimē affirmat, ossa esse.

XXXI. Ast l. 3. hist. an. c. 9. ait, τὸς ὀδόντας κατὰ τὴν  
τῶν ὀστῶν εἶναι Φύσιν, Gaza vertit, dentes naturam ossium emula-  
ri. Signum esse dicit, quoniam hominum nigrorum, ut Aethio-  
pum & similiūm, dentes & ossa alba sunt: unguis nigri, cutis  
sue modo.

XXXII. Libro 2. de part. an. c. 9. asseverat, naturam  
os̄is & cartilaginis eandem esse: differre duntaxat majoris mino-  
risque ratione. Proximas os̄ibus esse partes unguis, unguis,  
tum solidas, tum bisulcas, cornua, rostra avium: & in hoc eodem  
genere dentes quoq; collocandos esse. Si os̄ibus sunt σύνεγχος, pro-  
ximi, certe non videntur cum os̄ibus iidem: sicut neg; unguis,  
neg; unguia, neg; cornua, neg; rostra avium prorsus cum os̄ibus  
eadem sunt.

XXXIII. Libro 3. hist. an. c. 7. inquit, dentium genus  
inhærere maxillis, & esse id partim cavum, partim solidum,  
adeo & firmum, ut solum inter ossa ferri aciem respuat.

XXXIV. Libro 2. de gen. an. cap. 4. qui locus etiam  
thes. 28. allegatus, perhibet, dentes εἶναι τὴν Φύσιν τὴν αὐτὴν ἔχον-  
τας τοῖς ὄστοις, ejusdem esse naturae, cuius ossa: & gigni ex os̄ibus,  
ut unguis, pilos, cornua, & similia ex cute. Hinc fieri, ut ipsa  
colorē pariter cum cute mutent. Alba enim, & nigra, & va-  
riōmodo diversa pro cutis colore reddi. Dentes verò nil tale recipere.  
Annumerari enim os̄ibus iis in animalibus, quæ ossa &  
dentes habent.

XXXV. Galenus lib. de ossib. c. 5. dentes in ossium  
albo reponit, censemq; Sophistas, qui eos inde excluserunt, Maximas  
χαιρειν πότερον εἶναι, longum valere jubendos esse. Nam si in  
ossium familia locum non inveniunt, nullibi de iis agi possit. Non  
enim constare, ad quodnam genus partium reduci debeant.

XXXVI.

**X X X VI.** Galeno suffragantur Anatomici omnes, & de dentibus in ὁστεολογίᾳ præcipiunt.

**X X X VII.** Scaliger exercit. 291. s. 2. arbitratur, dentes ossa esse in genere. Non enim unum genus ossium esse, sicuti & carnis. Esse igitur ossa concedit, sed suæ speciei.

**X X X VIII.** Nos à Galeni Anatomicorum partibus stanus, & dentes pro ossibus agnoscimus: idq; probamus ex eo, quia erinde ut ossa corpora sunt frigidissima, siccissima, solidissima: lba insuper atque laetia.

**X X X IX.** Ad primum autem argumentum θ. 24. in contrarium sententiam allatum respondemus, sensum de ossis natura tque essentia non esse. Ideoq; sive corpus aliquod sentiat, sive sensit destitutum, ossis tamen mereri nomen posse, dummodo proprietates ossis habeat: h. e. corpus sit frigidissimum, siccissimum, urissimum & solidissimum.

**X L.** Scaliger comm. in libro I. de histor. an. cap. II. egat, dentes sentire. Probat id inde, quia cùm secantur, limantur, non sentiunt. Quodsi objicias, sentire tamen calorem frigus: respondet, sentire has qualitates per nervum, non sua substantia, ut partes alias, quæ sentiunt. Itaq; sentire per accidens, non per se. Quaratione etiam omnia ossa sentire dicere sumus: quoniam periostii sunt tecta, quæ aliarum membranam modo sensu tactus pollent.

**X L I.** Verum, si nihil sensu præditum dici debet, quod r nervos sentit, sanè nulla particula sensibilis dici poterit: quam omnes partes, quæ sentiunt, beneficio nervorum sentiunt: quæ his carent, etiam sensu tactus privatae sunt.

**X L II.** Non igitur per accidens dentes sentiunt, sed per se: oniam membranula & nervuli, per quos sentiunt, ad illorum uiturā pertinent. Si qui nervi per foramina ossium transeunt, ossa minimè spectant, sed ad partes alias, ad quas nervorum pagines per ossium foramina sensus motusve causa feruntur:

sicuti nervi, qui per foramina ossium crani ad sensuum organa abeunt, palam faciunt.

**XLI**III. Ad secundum Aristoteles l.2. de gen. an. c.4. respondet, cum omnia animalia certum habeant sua accretionis terminum, necesse est, ut habeant illum & ossa. Nam si haec augeantur perpetuo, etiam animalia ipsa, quibus ossa, aut ossis avulso data sunt, incrementum sui corporis caperent, quamdiu viverent: ratio est, quoniam ossa sunt ὁρτὴ μεγάθεος τοῖς ζώοις, terminus & metamagnitudinis in animalibus. Dentes autem aliquid peculiare habent. Etsi enim ossa sint, tamen soli inter ossa per totum vitæ curriculum crescunt. Id quod in iis dentibus manifestum est, qui nullos sibi habent oppositos, & proinde à mutuo contactu sumi liberi. Cur verò in perpetuo sint incremento, causam ex fine, cujus gratia facti sunt, petendam esse Aristoteles dicit: ut scil. suo officio fungi queant; quod est ejusdem de sententia lib. 2. part. an cap. 9. & lib. 2. gener. an. cap. 4. cibos conficere: in specie verò eosdem dividere & molere, (διαρρέων καὶ λείψεων) ut idem lib. 3 part. an. c. 1. loquitur. Brevi enim tempore attritu consumerentur, nisi subinde repararentur. Plus namque in dies adimitur quam additur.

**XLIV.** Objicies, ossa etiam mutuo se tangere, & atterere nego, tamen semper accrescere. Respondetur ex lib. 2. de part. an cap. 9. extremitatibus ossium cartilaginosam substantiam insertam esse, veluti σοιδῆν, lectisternum, vel, ut alij interpretantur, sicut cultritram, ne mutuo attritu laedantur. Aristotelis sententiae suffragatur Galenus lib. 1. de us. part. c. 15. & lib. 12. de us. part. c. 3. Cartilagine, inquit, natura ossa subunxit & oblitavit, & cartilagini etiam humorem quendam unctuosum & viscum, velut oleum, superfudit (Hippocrates illum lib. de loc. i hominum μύξαν, mucum appellat) ut & motus esset facilior, & eminētie ossium, quae alias projecturæ, extuberantiae, & processus, građποφύσεις, ἐξοχαι, προβολαι καὶ συφύσεις nominantur, minime attererentur.

XLV. Ad tertium. Cur ossa, aliae, partes σπερματιναι minimè renascantur, semel ablatae, præclarè Galenus l.i. de sem. cap. 13. explicat. Dentes autem substituuntur novi in locum eorum, qui primo septennio exciderunt: quoniam propter officium, quo funguntur, mutuo attritu consumuntur. Nec tamen omnes post completum septennium generantur de novo, sed in prima pars formatione geniti tantum erumpunt, & in conspectum veniunt, prius maxillarum alveolis, tanquam cavae, inclusi.

XLVI. Ad quartum. Ossa reliqua periostis vestiuntur, ut tutas sint ab injuriis, tum internis, tum externis. Dentes nudi sunt, quia incisioni, comminutioni & contritioni ciborum dicati: quod officium sine dolore praestare non possent, si periostis essent involuti. Sunt enim periostia, quemadmodum omnes membranae, sensu tactus praedita, & quidem accurato atq; exquisito. At in comminutione duriorum ciborum pressi, in spinosorum assumptione puncti, in frigidorum calidorumq; usu vehementer alterati dolerent, facerentq;, ut cum dolore semper manducaremus panem nostrum. Quin imò periostia dentibus frustrà data essent. Promptè enim obtenuem delicatamq; substantiam abraderentur.

XLVII. Ad quintum. De medulla ossium ita philosophatur Aristoteles. Libro 3. hist. an. cap. 7. scribit, ossium animalis ejusdem alia medullam intrase continere, alia nequaquam. Esse etiam nonnulla, quæ suis in ossibus nullam omnino medullam habere videantur, ut Leonem: èo quòd admodum exiguum tenuemq; habeat, eamq; in ossibus paucis. Solis enim inferioribus & brachiis. Ejus quippe ossa adeò dura solidaque esse, ut ex iis concussis ignis, velut ex silice, elidatur.

Libro 3. de hist. an. cap. 20. docet, quamvis medulla non nisi ossibus inclusa habeatur, tamen non omnia ossa medullam intrase continere: sed ea tantum, quæ cava sunt: tametsi ne ipsa quidem omnia habeant. Ossa namque Leonis partim nullam, partim admodum exiguum continent: adeò ut nullam omnino habere quidam fuerint arbitrati. In suillis etiam ossibus minus medullæ

est: & in nonnullis ea planè desideratur. Eadem ferè Aristoteles de medulla ossium Leonis lib. 2. de part. an. cap. tradit.

**XLVIII.** Quamvis igitur dentes non talem medullam habeant, qualem ossa reliqua: necesse tamen est, ut aliquid in se contineant, quod medullæ sit ἀνάλογον, quo alantur. Nam ne cætera quidem ossa omnia unam eandemq; materiam habent, qua nutriuntur. Quædam enim μελόν propriè dictum habent, qui crassa albag, est substantia, in ossis ventre, sive cavitate latens: ut ossa magna, qualia sunt brachia & femora: quædam verò χυμὸν, succum duntaxat quendam pinguem & oleagineum, medullæ similem, complectuntur: eumque non in cavitate aliqua conspicua: sed cavernulis & meatibus exiguis: ut ossa minuta, & lata: cujusmodi sunt ossa frontis, sincipitis, occipitis, costæ, ossa ilium &c.

**XLIX.** Est quoque magna inter ossa ratione quantitatis hujus medullæ & succi differentia. Nam in quibusdam medulla & succus inest copiosus, ut in modo dictis: in aliis verò paucus: ut in iis, quæ sicciora, duriora, solidioraq; sunt, qualia sunt ossa temporum, os cribiforme, & ossicula auditus. Cùm igitur non eadem conditio sit reliquorum ossium ratione alimenti: cur quæc; eadem planè dentium & cæterorum ossium esse debet, cùm notabile effatuq; dignum inter ossa & dentes discriminem deprehendatur?

**L.** Oportet autem omnino aliquid inesse dentibus, quod iis alimoniam præbeat: non tantum propterea, quod viventia sint corpora, sed etiam propter illam causam, quam Galenus lib. 5. de compos. med. n. τόπ. cap. 8. tradit, Inquit enim, dentes semper crescere, quia in ciborum mansu semper atteruntur. Impossibile autem esse, incrementum citra nutrimentum capere.

**L.I.** Ex dictis liquet, quomodo Galeni loca conciliari debeant? Nam lib. 11. de us. part. cap. 11. & 18. scribit, parva ossa, quia nullas habent cavitates conspicuas, medullosa non esse. Et lib. de ossib. ad Tyrones cap. 1. dicit, ex ossibus quædam esse grandia insigniterq; cava, & medullæ plena: quædam parva, solida, & medullæ expertia. Libro v. 3. de fac. nat. cap. ult.

& lib.

& lib. de inæqual. intemper. docet, ossibus omnibus talem esse medullam, qualis carnibus sanguis est. Nam medulla in est omnibus, generaliter accepta, pro quovis pingui & unctuoso succo. Medulla non in est omnibus, sumpta specialiter, scil. pro ea substantia, quæ alba, crassa, & duriuscula est, qualis maximè in femoribus observatur. Ossa præterea omnia cava non sunt, si per cavitatem evidens, sensibilis & manifestus sinus inaudiatur. Sunt autem cava omnia, si per cavitatem in genere quælibet cavernula, porus atq; meatus intelligatur.

LII. Ad sextum. Ossa reliqua porosiora laxiora q; dentibus esse concedimus. Verum differentia tantum est majoris minoris q; ratione, quæ speciem minimè mutat. Sunt ossa petrosa saxi in modum sicca & dura, ossa tamen. Et est os ἡθμοειδes reliquis ossibus tenuius, rarius, fungosius & spongiosius: unde & σπογγοειδes ab Anatomæ Scriptoribus appellatum: à nemine tamen ex ossum censu exclusum. Debuerunt autem dentes ceteris ossibus esse duriores solidioresq; quia dura secare, confringere & quasi lavigare quandoq; tenentur. Toto quoq; vita tempore atteruntur. Itaque ne occursu mutuo mandendo frangendoq; attenuarentur prorsus, duriores & solidiores facti sunt.

LIII. Quæ de lapide σαρκοφάγω sparguntur, in dubium à quibusdam vocantur. Imò si maximè lapis ille cetera ossa intra dies 40. consumeret, & dentes relinquaret illæsos, id tamen non fieret propterea, quasi dentes non essent ossa: sed propterea, quoniam dentes lapidi isti ob duritatem, robur & soliditatem substantiae suæ validius resistunt. Et Scaliger ipse argumentum istud amœnum magis, quam firmum esse perhibet. Ideoq; ingenuè fatetur, se illud animi tantum causa proferre voluisse: exercit. 291. §. 1.

LIV. Dentes à Plinio ignibus dicuntur invicti, non quod nullo modo cremari queant, sed quod propter causam modo exposita tardius ægriusq; comburantur, inq; cineres vertantur, quam partes & ossa corporis reliqua. Cavari autem pituitæ tabe, non vi, sed sapè cadendo. Sic enim & slices tandem à sepè defluentibus

bus pluviarum guttulis excavari solent. Cavantur etiam à pituis  
ta propterea, quoniam illa sepius salsa est, & ob id aliquid acre-  
dinus habet, qua corrodere & exedere dentium radices solet.

L V. Ad septimum. Dentes frigido aëri expositi, non, ut  
os̄a alia, nigrescunt, primum, quia illi sunt assueti. Ab assue-  
tis autem non facile fieri passionem, Philosophi docent. "Ωσπερ  
γὰρ Φύσις τὸ ἔθος. inquit, Aristoteles lib. de memor. & re-  
cordat. Et lib. 7. Ethic. cap. 11. ait, τὸ ἔθος τῇ φύσει τοκεν,  
consuetudo naturae similis est; ac versiculum ex Eveno, Poëta  
græco, profert, Tandem in Naturam longus, convertitur usus.  
Deinde, quia solidissimi sunt, adeò ut frigus ambientis aëris non  
ita, ut in os̄a alia, quæ poris & meatibus perviasunt, penetrare  
valeat. Taceo, quod primores dentes labiis, corporibus crassis &  
calidis, sint obsepti: reliqui verò buccis circumvallati.

L VI. Ad octavum. Negatur, dentes v̄sēpoyevēs esse,  
& demùm fætu in lucem edito generari. Infra enim ostendetur,  
formari eos in utero cum partibus ceteris. Videntur quidem re-  
rum ignaris tūm demùm nasci, cūm gingivas egrediuntur: sed  
nati sunt in utero: & aliquandiu in locellis suis conditi, quia pri-  
mis mensibus nullus illorum est usus. Imò molestiam creare lactan-  
tibus possent, si adessent, papillas mordendo. Accidente autem  
tempore, quo solidior paulò assumendus cibus, erumpere consue-  
verunt: quia usus illorum præsentiam postulat.

L VII. Ad nonum. Hippocrates non omnes in uni-  
versum omnium os̄ium usus, sed præcipuos tantum, & omnibus  
penè os̄ibus communes attingit. Non ergo sequitur, cūm dentes  
neḡ, erectum servent corpus, neḡ, stabilitatem partibus conferant,  
neḡ, figuram illis præbeant, ex albo os̄ium eliminandos eſſe. Etsi  
enim hosce usus minimè præsent: præstant tamen sibi proprios &  
peculiares, quos Aristoteles nomine ἐγγασίας τῆς τροφῆς indigi-  
tar. Habent præterea etiam alia quadam os̄a usus sibi proprios:  
neḡ, tamen ob id os̄is nomine privantur. Os̄a namque manuum  
ad fortiiter apprebendum, pedum ad firmiter incedendum,  
capitis

capitis ad cerebrum galeæ in modum protegendum, thoracis propugnaculi instar ad cor munieadum, efformandam cavitatem, ne cor & pulmo suo in motu impedianter, & ad musculos thoracem dilatantes & contrahentes fulciendos, deniq; spinae ad medullam spinalem continendam fabrefacta sunt. Cur ergo dentes propter usum à cæterorum ossium usibus diversum ex osseum consortio expungend?

LVIII. Ad decimum. Dentium alia structura est, quam cæterorum ossium, quia alio munere funguntur. Idem tamen in genere utrorumq; est temperamentum, eademq; substantia, siccascil. frigida, dura, solida atq; compacta. Ergo idē utrorumq; genus. Quod si propter diversitatem structuræ illis nomen ossis adimendum esset, sane eandē ob causam etiam ossa quædam alia è numero ossium extirpanda forent. Exemplo sit os, cuius anteā facta mentio, ηθμοειδes, quod os cranio & maxillæ superiori commune vulgo statuitur, sicut & σφηνοειδes: aliis autem cranij os est octavum: quibus. dam os maxillæ superioris: nonnulli id ad ossa nasi referunt. Varium enim est & multiplex: habetq; partes quatuor. I. est processus quidam triangularis, in acutum apicem desinens, tenuis, (interdum crassus) & latus, referens cristam galli, & os cribiforme septi instar dividens, organaq; olfactus, processus mamillares, distinguens. II. Os specialiter cribiforme appellatum, quod cribri in modum crebris foraminibus est pervium: unde & colatorium dictum. III, non, ut jam posita, in, sed extra calvam consistit, nasi partem superiorem in dextram & sinistram distinguens. IV. similiter extra cranium locata, spongiae, aut pumici similis & cavernulis prædita: portio ejus quædam plana, tenuis, solida & lavis, quæ orbitæ oculorum committitur, & orbitæ partem interiorem constituit. Hinc rectè os istud intracranium cribrosum, in narium cavitate superiore σπονγοειδes: ad oculorum sedem planum ac latum vocatur. Cui quo se os istud συνεχδοχικῶς ηθμοειδes καὶ σπονγοειδes nuncupatum est simile? & tamen jus suum in familia ossium obtinet.

LIX. Similis ratio est ossium sincipitis in homine. Eorum enim substantia in adultis dura est & solida: aliorum vero ossium comparatione rara atque infirma. Rara, quia caput hoc in loco plurimam requirit diacony, transpirationem. Infirmitatem esse inde constat, quia tenuis, ita ut vis armorum facile penetret. In infantibus autem pars eorum anterior, ubi sutura sagittalis cum coronali copulatur, plane est membranosa: sed paulatim induratur, omniumque capitum ossium ultima ossis acquirit soliditatem, teste Aristotele lib. I. hist. an. cap. 7. & lib. 7. hist. an. cap. 10. Et Plinius lib. 12. cap. 37. scriptum reliquit, pueros non prius articulata edere vocem, quam tota Calvaria osseam nacta sit duritatem. Propter hanc mollitatem hiatus, sive fovea propè verticem in pueris observatur, quam aliqui Fontanellam, & à madore ac pulsu Fontem pulsatilem: quidam vero Germani Foliolum nominant, authore Coitero. Hac Fontanella aliquando, sed raro admodum, etiam in proiectioris etatis hominibus visitur. Oculatum testem habemus Dn. Casparum Bauhinum, qui lib. 3. theatr. anat. c. 6. illam in prima sua uxore, annum etatis agente 26. animadvertisit: additque, si quando doluisse ex capite, quod factum sepe, locum illum fuisse dilatatum, & foveam representasse. Pars sane ista ossium sincipitis ne cartilagineam quidem soliditatem habet in infantibus, nendum osseam, & tamen ossis nomine gaudet.

LX. Ad undecimum. Dentes ex superfluo maxillarum alimento generari, inficiamur. Ex qua autem materia nascantur, infra eloquemur.

LXI. Ad duodecimum. Dentes ratione ταλιγγεσίας aliquid peculiare habent. Qua de causa, ita idē suo loco explicabitur.

LXII. Ad decimum tertium. Ossa non formantur per indurationem cartilagineæ substantiæ, quia nunquam cartilagine fuerunt. Ab his enim specie differunt: tametsi Aristoteles lib. 3. part. an. cap. 9. doceat, majoris tantum minorisque ratione inter se differre: naturam vero unam eandemque ossis & cartilagineis

nisi esse. Galenus puerorum ossa, aliquoties cera & caseo recens coagulato confert. Ut enim corpora ista propter mollitiem ad nutum nostrum formantur, ita & ossa puerorum, Nullibi autem, quod sciamus, cartilaginea esse dicit: quia cartilagini propter mollitiem & viscositatem flecti quidem, at non, ut cera & caseus noviter pressus, fingiformariq; ad placitum nostrum queunt. Indurantur igitur ossa, quia propria eorum substantia, qua terrena est, multo tamen humore imbuta, a calore resiccatur. Ita quoque dentium substantia durescit, non per conversionem mucoris in illorum substantiam, sed per resiccationem propriæ substantiæ a calore. Mucorem quidem habere eos concedimus: at ex mucore constare totos pernegamus.

LXIII. Ad decimumquartum. Ossa non secus ac dentes nigrescunt, livescunt, franguntur, corroduntur, excavantur, prolabuntur, inflammantur, siccantur, callos & tophos contrahunt. Par ergo utrarumq; partium ratione affectuum, quibus tentantur, conditio est. Aipudias tantum & dolorem sibi peculiarem habent dentes: quem ipsum tamen substantia eorum propriog; corpori Scaliger admittit.

LXIV. Hippocratis locum ex aphor. 18. sect. 5. allegatum quod attinet, respondemus, causam, quod divinus Senex præter ossa etiam dentium meminerit, iisq; frigidum inimicum esse docuerit, geminam esse. Vnam, quia dentes usu, structura, & quibusdam accidentibus ab ossibus differunt. Alteram, quia ossa & dentes a frigore diversimodè afficiuntur: ossa patiendo tantum: dentes & patiendo, & sentiendo.

LXV. Locum ex libro de carnibus adductum Bartholomæus Eustachius non admittit. Primum, quia Hippocrates dicit, dentibus nil inesse frigidi: quod rationi adversari videtur: quoniā prædominantem sua in mixtura terrā habent, suntq; perinde ut ossa, corpora exanguia. Deinde, quia duplicem statuit dentium generationem: unam in, alteram extra uterum. Tertio, quia triplicem materiam iisdem assignat: victimum in utero: lac cibosq; soli-

*solidiores extra illum: cùm tamen omnes dentes in utero, & quidem ex spermate procreentur. Id quod se infætibus abortivis cognovisse testatur.*

**LXVI.** *Quid si diceretur, si dentes maximè ex alia, quam ex spermatica materia, generarentur, non ob id tamen nomen ossis ipsis eripi posse? Testatur namq; Galenus lib. I. de sem. c. 13. vias à quibusdam in magnis ulceribus venas reparatas: & sibi quoq; ipsi venas, tūm alibi, tūm etiam in capite, easq; multas, & effatu dignas, conspectas, quæ renatae. Quare, si renatae sunt, renatae certè fuerunt non ex semine, sed materia alia, semini avulso. Et venarum tamen nomen obtinuerunt. Quidni ergò & dentes, ex materia, à semine licet diversa, geniti, ossium insigniri titulo possent?*

**LXVII.** *Aristotelem quod attinet, dicendum, illum si bi minimè repugnare. Ratumenim habet, dentes & ossa convenire in generalibus quibusdam: at in specialibus etiam inter se differre plurimum. Et hoc est, quod protulit Scaliger exercit. 291. sect. 2. dentes ossa esse in genere: sed peculiarem etiam quandam naturam habere. Ut enim non unum genus est carnium, sed variū & multiplex: nimirū caro fibrosa, seu musculosa, parenchymatica, glandulosa, & illa, quæ cuiusq; partis est propria, quæ nomine caret: ita & ossium aliquot sunt differentiae.*

**LXVIII.** *Cùm igitur ex dictis constet, dentes ossa esse, frustra queritur, an partes sint, & quales, similaresne, an dissimilares? Lubet tamen in gratiam artis initiatorum duas hasce questiones ventilare.*

**LXIX.** *Primam quod spectat, persuasum nobis est, si pars in genere accipiatur pro eo, quod quovis modo ac ratione corpori inservit, & necessarium est, neminem inficias iturum, dentes esse corporis partes, quia ad masticationem & elocutionem maximè sunt necessarij.*

**LXX.** *At si sumatur in specie, pro corpore vivente, toti cohærente, & vel ad actionem obeundam, vel ad usum saltem aliquem*

quem illi præstandum comparato, quemadmodum Fernelius il-  
lam lib. 2. Φυσιολ. c. 2. definit, in dubium vocari posset, utrum  
dentes pro partibus agnoscendi debeant?

LXXI. Etenim partes si essent, utiq; ad spermaticas per-  
tinerent. Sanguineas enim esse, nemo dixerit: quia dentes sunt  
frigidi, siccii, duri, solidi, compacti, albi: sanguineæ autem partes  
contrario modo se habent. At in albo spermaticarum reponi ne-  
queunt: quia illæ generantur ex spermate: dentes secundum Ari-  
stotelem ex luxuriante mandibularum alimento: secundum Hip-  
pocratem verò ex victu fætus, lacte lattantis, & cibis solidiori-  
bus adultiorum.

LXXII. Deinde, quia spermaticæ partes omnes certum  
habent suæ augmentationis terminum: quem cum sunt adeptæ,  
crescere desinunt. At qui dentes instar unguium, pilorum, pin-  
quedini & medullæ crescunt perpetuò.

LXXIII. Tertiò, quia partes spermaticæ in prima for-  
matione apparent: dentes nequaquam: sed demùm septimo etatis  
mense foras prodeunt.

LXXIV. Quartò, quia dentium numerus est incertus.  
In hoc enim subjecto inveniuntur plures: in illo pauciores. Ordo  
iug; eorum variat: qui plerisq; simplex: aliis duplex, aut etiam  
triplex. Deniq; tempus generationis varium est. Quidam enim  
rascuntur dentati: plerisq;exeunt, cum jam sunt nati: aliquibus  
tiam in senectute emergunt. At varietas ista in spermaticis par-  
ibus minime observatur.

LXXV. Verum nos dentes pro veris ac specialiter sumptis  
partibus agnoscimus. Habent enim suas venas, arterias & ner-  
vos. Ideoq; & nutriuntur, & vivunt, & sentiunt. Succus insu-  
ralimentarius in illorum cavo visitur. Adhac crescunt. Ergò  
iùs aluntur. At quod alitur & crescit, vivit, parsq; vivens  
eritò appellatur.

LXXVI. Ad primum autem argumentum responde-  
ns, poni materiam generationis dentium ex Aristotele &

Hippocrate certam, de qua tamen adhuc sub judice lis est & controversia.

LXXVII. Ad secundum. Dentes crescunt perpetuo, quia perpetuo ob munus sibi demandatum atteruntur. Ceterae partes tali accretione non egent, quia attritum minimè patiuntur. Non crescunt autem dentes eo plane modo, quo pili, unguis, pinguedo & medulla. Hęc enim corpora non vivunt. Ideoq; viventium more minimè augentur. Sed augentur tantum, ut corpora inanimata alia, scil. ut lapides, metalla, & fossilia, per appositionem materiæ priori associatae. Nam materiam alimentalem insita virtute minimè attrahunt: neq; attractam retinent: neq; retentam concoquunt: neq; aliena quæ sunt & superflua expellunt.

LXXVIII. Ad tertium. Etsi dentes in prima partium delineatione non conspiciantur, adsunt tamen eorum rudimenta, & delitescunt in loculamentis maxillarum. Non exerti autem debuerunt esse: tūm quia nullus adhuc in infantibus eorum est usus: tūm quia papillas nutricum offenderent.

LXXIX. Ad quartum. Variant sèpè etiam venæ, nervi & arteriæ, tūm in situ, tūm in numero. Variant & vasa spermatica in numero & exortu. Variant ossa, ut patet in costis & ossiculis sesamoideis. Variant musculi: quod ostendunt pyramidales abdominis, qui in plerisq; adsunt: in nonnullus desiderantur, vel ambo, vel alter duntaxat eorum. Abest quoq; aliquando musculus latitendinis, qui omnibus volæ manus musculis superstratus. Variat lien: quem geminum Aristoteles: tergeminum Fallopius: nullum Aristoteles, Hollerius & Laurentius observarunt. Aristoteles etiam in dextro hypochondrio collocatum vidit. Ut nibil de testibus, qui quandoq; trini: de renibus, qui numero varijs animadversi: unus nimirum ab Aristotele, Vesalio, Columbo, Fernelio, Andernaco & Eustachio: tres ab eodem & Gemma: de venis emulgentibus, quarum similiter septem ab eodem duæ, tres, quatuor, & plures eodem in latere à Columbo: de glandulis, quæ & numero, & magnitudine in cadaveribus inæquale depre-

deprehensæ. Et hæc tamen corpora non ob id ex albo partium  
eliminantur. Cur ergò propter aliquam variationem, quæ tamen  
rarò contingit, dentes ex illo eradicarentur?

LXXX. Alteram quæstionem quod attinet, responde-  
mus, si dentes perpendantur, pro ut visui nostro se offerunt, par-  
tes esse dissimilares: quia vasis, ligamentis, & membranis constant.  
At si propria illorum substantia consideretur, similares: quoniam  
neq; ex aliis constant: neq; in alias, quæ specie differunt, dividi  
queunt.

LXXXI. Verùm, missis hujus farinæ quæstionibus, quas,  
quia nihil ad finem artis consequendum profundit, Galenus passim  
λογικὰς appellat, pedem ad CAVSAS dentium promoteamus:  
& primum quidem ad MATERIAM illam triplicem: qua-  
rum prima IN QVA, sive Subjectum, cui dentes dati: secunda  
EX QVA, quæ generatione eorum necessaria est: tertia CIR-  
CA QVAM, sive Objectum, circa quod dentes occupati sunt,-  
nuncupatur.

LXXXII. SVBIECTVM, cui Natura dentes largita  
est, non est animal quodvis. Dentibus quippe carent volucres,  
prater vespertilionem, teste Plinio lib. II. c. 37. Carent & insecta;  
quibus dentium vice datus aculeus: authore eodem loco citato.  
Habent autem dentes, ait Aristoteles lib. 2. hist. an. c. I. omnia  
τεπάποδα & sanguinea, quæ ζωόνα: sed varie, tūm si inter se, tūm  
si cum homine conferantur.

LXXXIII. Placet in gratiam Physices & Medicinae Stu-  
diorum paulisper vagari extra oleas, & quædam de dentium  
varietate ex Aristotelis libro 2. hist. an. c. I. & aliquot sequen-  
tibus, nec non ex ejusdem lib. 3. de part. an. c. I. & Plini lib. II.  
c. 37. σένταρόδω excerptere.

LXXXIV. Quædam animalia sunt ἀμφόδοντα, supera  
scil, inferaque maxilla dentata: quædam non: sed primoribus den-  
tibus in maxilla superiore carent, ut κερατοφόρα, cornigera, quæ  
ruminant, h. e. cibum à rumine revocant atq; remandunt. Quæ-  
dam

dam cornibus vacant, & tamen αἱ μόδοι ταὶ non sunt, ut camelii.  
Causam vide lib. 3. de part. an. c. 14.

LXXXV. Rursus alia dentes habent exertos, quae Aristoteles vocat χαυλιόδοντα: ut apri: alia serratos, h.e. pectinatim coēentes, ne mutuo attritu atterantur & hebetescant: quae idem καρχαρόδοντα appellat: ut leones, pantheræ, canes: alia deniq; continuos, quae ἀντάκται nominat: Scaliger vertit dentes equatores: ut equi & boves.

LXXXVI. Quae exertos habent dentes, illos habent & auxiliū, & roboris ergo, tūm ad invadendum, tūm ad se defendendum: ut apri. Similiter & illa, quibus dentes sunt serrati, qui omnes acuti. Ideoq; admordendum perquām accommodati.

LXXXVII. Nulli verò animali, simul & exerti, & serrati sunt dentes concessi. Natura enim nihil frustrā, nihil supervacanei facit.

LXXXVIII. Nullum animal simul & cornutum est, & exertsis dentibus præditum. Nullum quoq; simul & serratos dentibus, & vel cornibus, vel exertsis dentibus est donatum.

LXXXIX. Quae iictu se tuentur, vel alia aggrediuntur animalia, exertos dentes nacta sunt. Quae verò morsu hoc faciunt, serratos acceperunt.

XCI. Serratis dentibus est vitulus marinus: quia piscibus est affinis. Piscibus enim penè omnibus, excepto Scaro, serrati dentes tributi, Habent & complures in lingua, & in palato. Causam exponit Aristoteles lib. 3. part. an. c. 1. Mersi enim in aquis degunt, ac propterea aquam cum cibo admittere necesse habent: quae tamen quamprimum expuenda. Nam in molendo commorari nequeunt: quoniam aqua in ventriculum eiσέει, influit. Idcirco & omnes sunt acuti, & frequentes undiq; in ore: nimirū ut præ multitudine cibum secent in partes minutas: vel, ut Plinius loquitur, quò turba vulnerum molliat, quae attritu subigere non posse.

XCI. Musculus marinus, qui balenam antecedit, dentibus

bus est destitutus. Dentium verò loco os illi, palatum & lingua  
seis hirta.

**XCI.** Ajunt, marinis, quæ dicuntur μαλακόσταχτα,  
tenui testa, quām Crustam vocant, tecta, ut astaci, paguri, cancri,  
locusta, gammari &c. itemq; σελάχια, cartilaginea, quorum cutis  
aspera est, noctuq; splendet, ut torpedines & pastinaca marinae, pri-  
mores dentes concessos esse. Echinis item datos esse quinos. Verum  
unde hoc intelligi potuerit, Plinius miratur.

**XCI.** Elephanto dentes utring, quatuor intus, quibus  
cibum conficit, & quasi in farinæ speciem molit. Duo verò magni-  
tudine insigne, qui prominent: masculis maiores, reflexi, sive re-  
simati, qui spectant sursum: fæminis minores, qui vergunt deor-  
sum proniq; deviant.

**XCVI.** Hæ illorum prominentiæ an dentes appellandæ  
sint? an cornua? apud eruditos queritur. Aristoteles certè, Pli-  
nius, Scaliger & alij dentes illas appellant. Et videntur sanè den-  
tes esse exerti: qualibus etiam apri donati: non ad cibum conficien-  
dum, sed ad invadendum defendendumq; geniti. Duplicem enim  
usum Aristoteles dentibus assignat in brutis: unum τρόπος τὴν τῆς  
τροφῆς ἐπιγείαν, ad comminuendum cibum comparatum: alterum  
τρόπος ἀλκὴν τὴν βούθειαν, ad robur atq; auxilium factum: qui qui-  
dem iterum duplex est: alter τρόπος τὸ τοσεῖν, καὶ τὸ μὴ τάχει, ut ani-  
malia afficiant alia, nec tamen ab aliis afficiantur: nimirūm us  
alia invadant, & ab aliis invasa se defendant: ut sunt fera, quæ  
natura carnivore: alter τρόπος τὸ μὴ τάχει, ne ab aliis lədantur:  
cujus generis sunt complura, tūm sylvestria, tūm urbana, sive do-  
mestica. Libro 3. part. an. c. 1.

**XCV.** Itaq; haud videtur satis firmum esse argumentum  
eorum, qui hosce dentes propterea dentes esse inficiantur, quod nego  
dentium formam habeant, nego usum masticatorum præbeant.

**XCVI.** Nam nego unius ejusdemq; animalis dentes eadem fi-  
gura conspicuntur: nego aprugni, qui exerti, ad contritionem cibo-  
rum quicquam valent, sed tantum ad pugnam suiq; defensionem: &

tamen locum in dentium numero inveniunt. Debent illum autem  
merito invenire, quia ut dentes frigidi sunt, siccii, duri, solidi atque  
compacti. Deinde, quia mandibulis clavorum instar insiguntur,  
sicuti dentes.

XCVII. Neque tamen planè nihil ad parandum alimentum  
Elephantorum dentes exerti faciunt. Scribit namqz Scaliger com.  
in lib. 2. histor. an. famam esse, Elephantos horum dentium  
usum atque officia partiri: & altero quidem radices fodere: alte-  
rius vero mucroni parcere ad pugnandum. Effossas autem radices  
haud fodere frustra, extra dubitationis aleam positum est. Eas  
namqz promuscidet, velut in manu, apprehendere, ingredi os nutritionis  
ergo ingerere solent. Haud enim, inquit Aristot. l. 9. hist. an. c. 46.  
 $\omega\lambda\gamma\mu\sigma$ , fluviale est animal Elephas, ut quidam arbitrati sunt,  
quod per aquas incedat: sed  $\omega\alpha\gamma\pi\lambda\gamma\mu\sigma$ , aquæ amans, fluviosqz  
libenter accolit: quod animal sit munditiae studiosum. Gaza ver-  
tit, animal esse riparium.

XCVIII. Verum his missis, quæ ad Physicorum Scholas  
pertinent, ad  $\epsilon\pi\gamma\sigma\sigma$  nostrum redeamus. Dictum fuit de MATERIA IN QVA, sive de Subjecto, cui dentes dati. Dicendum  
nunc de MATERIA EX QVA dentes partim constant, par-  
tim generantur.

XCIX. Materia ex qua dentes constant, partes sunt: ea-  
que duplices: propriae, quibus similes alibi in corpore non reperiun-  
tur: & communes, quibus similes etiam aliorum membrorum com-  
positionem ingrediuntur.

C. Propriæ sunt superior & inferior ossa: quarum illa alba  
est, laevis, & lapidis in modum dura, eminetque extra gingivam. Va-  
ria insuper ratione figuræ: quemadmodum in speciali οδοντολογιᾳ  
dicemus. Hæc minus alba minusqz laevis & dura. Radix dici mere-  
ritur: quæ primoribus & caninis simplex: molaribus duplex, triplex,  
aut etiam quadruplex: latitatqz in alveolis, foris minimè conspicua.

CI. Sunt verò partes istæ continuæ: nec superior  $\epsilon\pi\phi\sigma\tau\sigma$ ,  
appendix, seu additamentū est inferioris, ut Sylvius, Vesalius, &  
Colum-

Columbus crediderunt: hancq; ob causam mandarunt, ne pueris dentes eruerentur radicibus, & extraherentur filo: sed frangerentur per transversum. Radices enim manere debere, ut dentes renascantur.

CII. Sunt quidem haec dentium partes linea quadam discrete. Verum hoc ab extremis solum maxilla & gingivarum oris efformatur: eaque derasa, nullum divisionis vestigium cernitur: quemadmodum eleganter Laurentius docet.

CIII. Venas acceperunt a jugularibus internis, ut nutriantur. Haec enim per internas capitis orisq; partes distribuuntur: per externas autem feruntur externae. Ingrediuntur autem foramina radicum, & ad interiorem usq; cavitatem penetrant. Hinc denti perforato, sanguinem effluere videmus.

CIV. Arterias obtinuerunt a carotidibus, ut calor eorum conservetur, a putredine præserventur, & vivant. Vnde Galenus l. 5. de compos. n. tōπ. c. 8. scribit, se in semetipso non solum dentem dolere, sed etiam pulsare animadvertisse. Cognitum quidem habuerat, gingivas inflamatæ more aliarum partium carnosarum pulsatorum pati dolorem: sed testatur, talem etiam proprium dentis corpus aliquando sustinere: de quo tamen pulsu suo loco aliquid dicemus. Subire autem arteriolas cavum dentis, inde liquet, quia dente perforato, tenuis lucidusq; aliquando sanguis emanat: & quidem, ut Barthol. Eustachius lib. de dentib. in quodam notavit, tanta in copia, ut vitam penè cum sanguine profuderit.

CV. Hæc duo vasorum genera adeò in dentibus sunt existentia, ut vix sensu percipiantur. De illorum tamen præsentia minime dubitandum. Nam neque in tunica oculorum adnata vene & arteria conspicuntur propter parvitatem: qua tamen in ophthalmitia maximè sunt conspicuae.

CVI. Nervos sortiti sunt à tertia cerebri conjugatione: Galenus l. 9. us. part. c. 15. eosq; in radices illorum insertos: l. 11. us. part. cap. 7. quorum causa exquisitè sentiunt: l. de ossib. c. 5. & l. 16. us. part. cap. 3. Cur autem sentire debuerint, idem c. 2.

lib. 16. us. part. explicat: quia nudi sunt & externis injuriis expositi. Natura autem sensum, & quidem exactiorem, iis tribuit partibus, quae assidue occurserant rebus incidentibus, pungentibus, frangentibus, rodentibus, calefacientibus, vehementer refrigerantibus, aut alio quovis modo alterantibus & afficientibus, ut animal a dolore ferendae sibi epis admonitum, quod se contristat, prius amoliatur, quam pars sit labefactata.

C VII. Membranulae dentium cavum succingunt, & alveolos quoq; quibus infixi sunt, investiunt. Vnde vero orientur? dubitatur. Quidam autem, portiones esse piæ matris, sive tenuis meninges. Hanc enim originem esse membranarum in capite extantium: sicut pleura mater earum est, quæ sunt in thorace: & peritonæum illarum, quæ in imo ventre conspiciuntur. Alij statuunt, nasci illas ex venarum, arteriarum & nervorum, qui cavum dentium ingrediuntur, complicatione.

C VIII. Existimamus, priorum sententiam esse plausibilioriem: posteriorem vero duplarem pati instantiam. Vnam, quia nulla pars, sive spermatica sit, sive sanguinea, alterius est principium materiae: alias plura, quam duo principia materialia statuenda forent. Alteram, quia Physici docent, unius generationem alterius esse interitum. Itaq; si membranula cavum dentium succingens generaretur ex contextu dictorum vasorum, hec sanè vasa interirent, ut inde emergere posset membrana. At non intereunt. Nam si nervus interiret, utiq; dentes minime sentirent. Si arteria & venæ perirent, nil sanguinis ex-dentium lassione emanare posset.

C IX. Vincula secundum Barthol. Eustachij sententiam lib. de dentib. cap. 4. firmissima dentium radicibus adhaerent, quibus suis præsepiolis, alveolis, mortariolis, fossulis, loculis, sive cavernulis suis arctissimè alligantur.

C X. Videtur enim natura de dentium immobilitate valde sollicita fuisse: quoniam ob frequentem masticationem, casum, contusionem & defluxiones serosorum humorum loco facile movebi;

veri, imò prorsùs excuti possunt. Propterea non iis solum vincula injecit, verum etiam, cœn clavos, alveolis ad amissim crassie illorum respondentibus, infixit. Nam si fuissent ampliores, etiam articulatio eorum laxior fuisset, ipsi dentes vacillassent. Sin arctiores strictioresq; radices dentium ad imum illorum fundum minimè penetrassent. Ipsos insuper alveolos, quos Galenus lib. de ossib. cap. 5. Bóthra appellat, tenuibus utriusque maxilla processibus, quos idem ibidem Phátria nominat, circumdedit, ut dentium radices undiq; stringerent, ac retinerent validissimè. Quem in finem etiam gingivas machinata est, quæ carnes sunt, dentes locellis egressos undiq; comprehendentes, ne inde facile excidere queant.

C XI. De alveolis verò dentium obiter hoc monendum videtur, quod certus illorum numerus ponи nequeat. Sunt enim in aliis plures, in aliis pauciores: scil. pro ratione radicum dentium: quæ vel sunt simplices, vel duplices, vel triplices, vel quadruplices: quarum quælibet peculiari infixa est alveolo.

Deinde, quod quidam ex alveolis oblitterentur & prorsùs pereant: quidam verò renascantur. Pereunt, cum dente evulso, vel sponte elapso, novus minimè sufficitur. Renascuntur, quando dens novus amissio surrogatur. Hic enim proprium sibi excavat alveolum. Delentur autem & occæcantur alveoli in Senibus. Verum extrema illorum coëunt, formantq; acutam aciem, quæ ob duritatem in mandendis cibis dentium munere fungitur.

C XII. Materia, ex qua dentes generantur, valde est controversa. Hippocrates l. de carn. triplicem agnoscit. In utero, victum fætus. Extra uterum, primum lac: postea cibum solidiorem.

C XIII. Aristoteles l. de gen. an. c. 4. scribit, gigni dentes ex ossibus, sicut ungues, pilos, cornua &c. excute. Esse enim dentes ejusdem naturæ cum ossibus.

C XIV. Idem tamen eodem in loco docet, generari dentes ex alimento, quod in ossa fertur: idq; propter eandem rationem, quod ossibus sint ὄμοφυλοι.

CXV. Libro 5. de gen. an. c. 8. vult, materiam dentium  
esse alimentum mandibularum.

CXVI. Verior sententia videtur esse, dentes ex semine  
provenire. Cum enim supra probatum sit, dentes in numero par-  
tium, & quidem spermaticarum, recenseri, sequitur, etiam ex sper-  
mate nasci: & quidem ex crassa terrenaq; ejus portione: una cum  
reliquis partibus: quia ipsi quoq; terrena sunt substantiae. Mens  
namq; Hippocratis est libro 1. de diæt. & lib. de loc. in hom.  
omnium partium spermaticarum rudimenta, & prima stamina si-  
mul & semel delineari: sed suo quasq; ordine perfici: prius scil. il-  
las, quæ magis: posterius, quæ minùs sunt necessariae. Cum enim præ-  
sens sit omnium materia, semen: efficiens, tūm primaria, facultas  
τλασική, tūm secundaria, calor & spiritus: locus generationis,  
uterus: rationabiliter concluditur, omnes simul formari, nullamq;  
altera priorem esse.

CXVII. Atque hanc non modo illorum dentium esse  
materiam Eustachius putat, qui primi emergunt: verum etiam  
posteriorum, qui demum anno ætatis septimo prioribus elapsis  
succedunt. Hocq; didicisse se ait ex dissectione plurium fætuum  
abortu exclusorum. In omnibus enim se deprehendisse, dentes in  
utero nasci. Aperta namq; utraq; mandibula occurrisse sibi dentes  
incisores, caninos & tres maxillares, nempe secundum, tertium &  
quartum: partim mucosos, partim osseos, non obscuræ magnitudi-  
nis, suisq; præsepiolis undiq; vallatos. Incisoribus autem & cani-  
nis docta peritaq; manu detractus, tenuissimum quoddam intersti-  
tium, vix osseum, fuisse sibi conspectum: quo pari diligentia remo-  
to, totidem incisores & canini in oculos incurrerint, mucosi ferè,  
longeq; prioribus minores: qui post illos in propriis similiter latue-  
rint caveis, singuli singulis oppositi. Nullum autem fatetur se vi-  
disse vestigium primorum molarium & genuinorum, qui demum  
circa annum septimum, & tardius etiam erumpunt. Verisimile  
tamen esse, & rationi consonum, eos, perinde ut alios, rude quod-  
dam, sed minus conspicuum initium habuisse in utero: poste à verò  
simi-

similiter fuisse & formatos, & absolutos. Similium enim & specie  
earundem rerum etiam similis videtur esseratio.

CXVIII. Verum tria hic quæri possent. I. Cur, si  
omnium dentium eadem est materia, semen: idem agens, vis for-  
matrix: idem locus, tūm generalis, uterus, tūm specialis, maxilla-  
rum fossula: idem deniq<sup>ue</sup> tempus, quo formari incipiunt, & rudi-  
menta suarum formarum acquirunt, alij mature absolvantur, ci-  
tiusque locellis suis egrediantur: alij diu in cavernis latitent, perfi-  
cianturque tardius?

II. An dentes aliqui ex alia materia, quam ex semine  
procreari possint: illo præsertim, qui demum in adulta etate, imo  
etiam in senectute erumpunt?

III. An facultas formatrix aliqua in maxillis supersit,  
qua dentes istos, in proiecta demum etate pullulantes, formet?

CXIX. Ad primum quæsitus respondet Eustachius  
lib. de dentib. c. 15. diversitatem absolutionis & emanationis den-  
tium nos admirari magis posse, quam solidam aliquam illius ra-  
tionem dare. Probabile tamen esse, si dicatur, quemadmodum ma-  
iores robustioresque plantæ minoribus, quibus sunt proximæ, ali-  
mentum penè omne præripiunt: ita priores dentes omnem propè  
humorem posterioribus subirahere: idq<sup>ue</sup> fieri propterea, quia vir-  
tus, qua posteriores format, indies minuitur, hebetiorq<sup>ue</sup> evadit.  
Hos ergo, utpote prioribus longè minores ac molliores, inque angu-  
stoloco coactos, perfici seriūs, & ad superioremaxillarum sedem  
jam præoccupatam tardius ascendere.

CX X. Nos probabilitatem quidem rationis admittimus,  
quo ad materiam augmentationis: sed quo ad diminutionem effi-  
cientis cause, qua vis est formatrix, non agnoscimus. Vim enim  
istam, si occasio se offerat agendi, in vigore suo permanere arbitra-  
mur, ut mox dicemus. Non concedimus etiam, posteriores dentes  
minores mollioresq<sup>ue</sup> esse prioribus. Cùm enim hi deliciori ala-  
tur & augeantur alimento, lacte scil. & lacticiniis: illi verò ci-  
bo solidiore, quia demum anno etatis septimo exiliunt, quo homo  
deli-

delicata illa vivendi ratione non amplius utitur, patet, posteriores prioribus & maiores, & duriores esse.

CXXI. Ad secundum. Fatetur Eustachius, nullum se vidisse vestigium primorum molarium & genuinorum. Videtur ergo, dentes illos in fætibus nondum genitos fuisse. Cum vero quibusdam in adulta etate, qua semen jam est consumptum, & in partium substantiam conversum, proveniant, sequitur, cum nihil ex nihilo generetur, eos ex materia alia, quam ex semine, nasci, nimis ex superfluo mandibularum nutrimento.

CXXII. Ad tertium responso liquet. Dictum enim, genuinos post multos demum annos in quibusdam gigni. Ideoq; necesse est, ut principium aliquod movens adsit: quoniam sine moveente motus nullus, & consequenter neque generatio, fieri potest. At tale movens est facultas  $\omega\lambda\alpha\varsigma\mu\eta$ : quæ juxta Galenum lib. I. de sem. nunquam amittitur: quoniam semini, ex quo seminales partes genitæ sunt, insita est & implantata.

CXXIII. Potest vero præsentia virtutis istius etiam auto $\varphi$ ia & ratione demonstrari. Auto $\varphi$ ia: quoniam Galenus lib. I. de sem. c. 13. testatur, & sibi, & aliis visas esse venas in magnis ulceribus, tum alibi, tum etiam in capite genitas. Et nos in cavis ulceribus carnem generari quotidie experimur. Ratione: quia spermaticas nutritiri partes, extra controversiam est. At nutritio sine alteratione & formatione alimenti fieri nequit. Est enim particularis quedam generatio: quoniam substantiam producit, novam scil. quæ in locum illius sufficitur, quæ a calore fuit consumpta. At generationi famulantur facultates duæ:  $\alpha\lambda\kappa\omega\varsigma\mu\eta$ , quæ substantiam mutat in aliam: &  $\omega\lambda\alpha\varsigma\mu\eta$ , quæ illam format: estq; in eo occupata, ut partes congruentem figuram, convenientem positionem, decentem numerum, necessariam cavitatem, aut meatum, debitam cum aliis connexionem, & his similia alia habeant accidentia. Vid. Galen. I. 1. de nat. facult. c. 5. & 6.

CXXIV. Hippocratis liber  $\omega\epsilon\rho\iota\alpha\pi\chi\omega\nu$ , qui perperam  $\omega\epsilon\rho\iota\sigma\alpha\gamma\mu\omega\nu$ , de carnis inscribitur, yvñsi Hippocratis non est:

: quemadmodum Mercurialis monet in Censura operum Hippocratis: quia non pauca continet de partium corporis generatio-, de nutrimento fœtus, de fœtuum productione, & de hominis ta nimis à veritate remota.

CXXV. Sed esto, sit sanè is genuinus Hippocratis partus. uiditum postea? ὅτιον πρότιμαν τὴν αληθείαν, inquit Philosophus Ethic. c. 4. pluris oportet facere veritatem.

CXXVI. Ait, primos dentes generari in utero ēn τῆς γένετης, ex victu. Quomodo verò sibi constet, ignoramus. Nam immediate ante hoc pronunciatum dixit, dentes ossibus τῇ γενέσει esse posteriores, & generari ex materia partim glutinosa, partim pinnata, quae resultet ex nutricione ossium capitis & maxillarum. Im verò à calore siccari, indurari, & quasi exuri, & inde fierientes, reliquis ossibus duriores.

CXXVII. Erroneum præterea videtur, quod dentes nascuntur ex victu infantis in utero existentis. I. quia planum factum, dentes spermaticas esse partes. Non ergo ex victu, sed spermate procreantur. II. quia priusquam fœtus alatur, dentes adsunt, partes aliae. Oportet enim prius existere nutritum: postea deinde ali atq; augeri ex nutrimento.

CXXVIII. Afferit, dentes extra uterum, quando fœtus non est exclusus in lucem, generari ex lacte, quo lactens pascitur. Ita quot quoque sunt infantes, qui neq; lac maternum suixerunt: q; nutricum lac biberunt: neq; aliorum animalium lacte sunt triti? Non enim ubiq; terrarum infantes lacte, aut puliculis ex te, vel bubulo, vel ovino, vel caprino confectis aluntur: sed patellis, qua ex mica panis & brodiolis parantur. Itaque edentibus essent, qui materia dentium, lacte, carerent.

CXXIX. Scribit, ubi lacte i dentes exciderint, quod fieri everat in aliis temporius, in aliis tardius, in plerisq; anno etatis timo, nasci dentes tertios ex cibis & potibus. Verum magnorum rerum auctorū testimatum fecit, in utero delineari & adumbrari

omnes, aut saltem plerosq; omnes: & imperfectos aliquando in latere in genarum βοθρίοις: postea verò absolvit, absolutosq; inde excire: alios citius, serius alios.

C XXX. Deniq; affirmare minime veretur, produci eis & dentes quartos, quos dicit οὐναλαγνάτην, consenescere nobiscum, nisi ab aliquo affectu corruptantur. Generari autem illi ex superfluo maxillarum nutrimento. Has enim solas inter osses venas habere, alimentum sibi ab inferiore ventre adferentes: eis quidem uberius, quam conferatur ossibus aliis. Ex hac igitur alimenti abundantia gigni dentes istos: non solum post septenarium primum, verum etiam septenario tertio, imo & quarto, ac quanto: & in quarto quidem emergere plerisque hominibus duos, quos φρονησης appellantur.

C XXXI. At quis quartos istos dentes observavit, quod dictis demum vita septenariis generantur? An non Dentium mul omnium rudimenta in utero producuntur? Quis omnes ex superfluo maxillarum alimento gigni dixerit, cum eos partes effervescentias sit probatum? Quis Anatomicorum statuit unquam solas maxillas venas habere, nutrimentum sibi à κάτω κοιλie ventre inferiore, & quidem largius, quam ossibus aliis, communcantes? Nonne ossa omnia viventia sunt corpora, & nutriuntur. Certè si nutriuntur, sanguine nutrientur, & consequenter eti conceptaculus illius, venis, opus habebunt: quas per foramina iorum transire ipse quoque visus attestatur. Et quis quae sibi perficit, maxillas copiosius in se alimentum habere, quam ossa longiora, brachia, crura, & tibias? Inter nutriendens enim & nutrum semper proportio aliqua esse solet.

C XXXII. Aristotelis l. 2. de gen. an. c. 4. sententia est, quod dentes generentur ex ossibus maxillarum, tanquam materia. Pars namq; partem non gignit. Sed ex ossibus earum gni dicuntur, quia ex alveolis illarum emergunt, ut inde quae nasci videantur. Indigitatur igitur tantum locus, unde emana non materia, ex qua sint. Nam & unguis, pili, cornua, simili-

ibidem excute oriri dicuntur, non sane quod cutis eorum magis sit, sed quod est cutem erumpant.

CXXXIII. Locum ejusdem exl. 5. de gen. an. c. 8. circum quod attinet, probatum jam, dentes ex malarum alimento minime formari.

CXXXIV. MATERIA CIRCA QVAM dentes occupant, est alimentum eorum. Hoc enim appetunt: hoc attrahunt: retinent: hoc concoquunt: hoc tandem sibi assimilant.

CXXXV. Sed queritur, quodnam illud sit: an medulla mandibularum? quia Hippocrates l. τερπι τροφης scribit, Μυελὸν φηνεῖναι ὄστεα, medullam ossis alimentum esse. An mucosa illa substantia, qua in illorum cavo continetur? An sanguis? quom Galenus dentibus venas tribuit.

CXXXVI. Medulla vero mandibularum esse non potest: quoniam hæc Eustachij, dentium inspectoris & observatoris diligentissimi, dentes minimè attingit. At nutritus & nutritum esse tenentur. Mucosam substantiam proximiorem eorum moniam esse probabile est: quia jam in cavo dentium continetur, & tunc colore, tunc temperamento aliquo modo dentibus similitudinem, ut videatur ab iis alterata. Quis enim aliis illius sit usus, dicere non possumus. Negare temerè factam esse suspicari licet: cum nihil temerè, nihil frustra, sed omnia χάριτων condita à Naturā sciamus. Remotam vero materiam & mediatam sanguinem effredimus. Hunc enim commune omnium membrorum pabulum philosophi pariter & Medici statuunt. Nec obstat, quod is sit sic admodum, in exilibus venuis contentus. Pauco namque in alimento dentes egent: quia frigidi, secchi, duri, solidi, deorum substantia calor parum dissipat atque dissolvit.

CXXXVII. Est namq[ue] Galeni doctrina lib. 16. de us. rit. c. ult. quod alimentum aequale debeat esse illi substantia, que consumpta. Plurimum autem consumi illis ex corporibus, quae calida sunt, humida & mollia: minimum ex frigidis, duris & solidi: ex quorum censu dentes esse omnes fatentur.

**C XXXVIII.** Quod si proximior reliquorum ossium materia creditur medulla, in cavitate illorum contenta: remota sanguis, qui in venis eorum continetur: quidni & dentium geminam statuere liceret: mucosam illam substantiam, quam cernimus in eorum cavo: & sanguinem, quem in venuulis latere novimus? Ut enim medulla, qua recens genita est ex sanguine, rubet primum, & concretum emulatur sanguinem: postea magis ab ossium upotest alterata albicat, solidiorque evadit, & ossibus fit similior: ita sanguis a dentibus mutatus mucosam refert substantiam: sed ulteriori concoctione tandem prorsus dentibus assimilatur.

**C XXXIX.** Post triplicem dentium materiam FORMA eorum sece offert: quae duplex a Philosophis statuitur: substantialis & accidentalis.

**C XL.** De substantiali agere Medici non est, sed Physici. Neg, tamen, si maximè Medici esset, ab ullo Medicorum exprimi posset. Latent enim formæ rerum, & a posteriori solum, h. e. ex operationibus illarum cognoscuntur.

**C XLI.** Accidentalis tūm in aliis accidentibus, tūm vel in primis etiam in illorum upotest consistere videtur: de quibus accidentibus disputatione secunda sermonem instituemus.

**C XLII.** Itaq, ad CAVSAM EFFICIENTEM progrediemur: quam similiter duplē facimus: dūvapiv ταλασικη & calorem.

**C XLIII.** Vis formatrix & in, & extra uterum occupata est, ut supra dictum. In utero quidem magis, quia plura ei formanda: omnes scil. totius corporis partes. Extra uterum vero minus, adeo ut quibusdam quasi sopita videatur & otiosa. Verum haud otiosam prorsus esse, assimilatio alimenti, carnis generatio in cavis vulneribus & ulceribus, fractorum ossium ferruminatio, calli productio, & dentium perfectio ostendit: qui in utero tantum fuerunt adumbrati: extra illum vero sensim absoluti.

**C XLIV.** Perficit autem Natura primum illos dentes, quos nostrates die Milchzähn appellant: postea eos, qui priori

bus expulsis, circa annum etatis septimum sese exerunt: & perficit utroq; ministrante calore, qui mollem, humidam mucosam q; eorum substantiam exiccat atq; indurat.

CXLV. Qua verò ratione fermentur singuli, prolixè Eu-stachius lib. de dentib. c. 17. demonstrat: ad quem locum Studio-sos artis remittimus. Ait enim, se formationem istam non semel in fætu, tūm abortivo, tūm absoluto, & in bimestri puerō, & in hædis observâsse.

CXLVI. Restat dentium FINIS & VSVS, qui in hominibus varius est & multiplex: quemadmodum ex Aristotelis lib. 2. de part. an. c. 9. l. 3. de part. an. c. 1. l. 4. de gen. an. c. 4. & l. 5. de gen. an. c. ult. Galeni l. 11. us. part. c. 2. l. 16. us. part. c. 2. l. 4. de loc. affect. c. 6. & ex Isagog. c. 11. Plinij l. 7. N. H. c. 16. & Ciceronis l. 2. de nat. Deorum colligitur.

CXLVII. Primus homini cum brutis communis est, ut solidiores cibi incidentur, frangantur, atterantur & quasi levigentur, sive molantur. Primum officium præstant incisores. Secundum canini. Tertium maxillares appellati dentes: velut in speciali eorum historia indicatur sumus. Oportet enim cibum ventriculo preparare, ut felix succedat χύλωσις. Nam qui bene mandunt, melius chylificant.

CXLVIII. Secundus itidem homini cum bestiis communis: ut scil. alios lēdat, seseq; ulciscatur. Hic quidem proprie bestiis competit, quibus dentes armorum vice dati. Homines tamen etiam dentibus noxam inferre, docent pueruli, ira accensi, quia multi mordent, à quibus fuerunt offensi. Monstrant etiam phrenitici, maniaci, & à cane rabie correpto demorsi: qui obvios non tantum unguibus & pugnis, sed etiam dentibus invadunt. Verum usus iste contingit ius per accidens solum, ratione morbi. Nam si valerent, ferarum instar minimè morderent. Est quippe homo, inquit Galenus l. 11. us. part. c. 18. animal politicum & mansuetum. Ideoq; non in morsu fortitudo ejus viresq; consistunt, ait idem lib. 11. us. part. c. 2. neq; eo cetera domat animalia: sed ra-

tione & manibus: quæ, ut pulchritù loquitur Aristoteles lib. 4, de part. anim. cap. 10. ὅπνανα sunt ὅπνάνν. Quævis enim organa armorumq; genera & capere, & tenere, & conficere possunt: adeò ut sint, non in sensu quidem formalí, causali tamen, & unguis, & cornua, & hastæ, & enses, & quævis alia instrumentorum armorumq; genera: scil. ratione usus & confectionis.

CXLIX. Tertius homini proprius est, ut rectè loquatur. Ad literas enim quasdam exprimendas, inquit Philosophus, plurimum conferunt dentes primores. His enim in exprimens literis C. D. L. N. R. S. T. X. Z. lingua inniti debet. In pronuncianda litera F. labium inferius applicandum dentibus primoribus superioribus. Atq; hæc causa est, quod Senes, Vetule, & alijs quibus dentes exciderunt, perperam loquantur.

CL. Quartus traditur à Galeno l. 16. us. part. c. 2. ut dentes una cum lingua sapores discernant. Sed cùm quodlibet sensile proprium & peculiare habeat sensorium, videntur sanè dentes in perceptione saporum linguae suppetias minimè ferre. Idq; hanc etiam ob causam: quoniam affecta lingua, ut sapores discernere nequeat, negat dentes illos discernunt.

CLI. Quintus ad ornatum spectare videtur. Turpe quippe putatur, edentulum esse, ut fuisse Pherecrates Poëta perhibetur.

CLII. Sextus philologicus est, & ut ajunt, ab Homero propositus. Dicit enim, dentes homini tributos fuisse ad comprehendendam τολυλαλίαν, garrulitatem: quia lingua, locutionis organo, velut muri & valla, sunt præfixi. Cato namq; censebat, primam virtutem esse compescere linguam: & proximum illum DEO judicabat, qui cum ratione tacere didicisset. Tacuisse enim nocuisse nemini: temerè verò locutum esse, & effutivisse, quæ silentio regenda erant, nocuisse plurimum. Hanc ob causam Natura homini duas largita est aures, & illas quidem patulas: unam verò duntaxat linguam, eamq; dentibus, genis & labiis undiq; circumseptam: innuens, plus audiendum, quam loquendum esse.



# PRÆSES DN. RESPONDENTI

*Salutem.*

**D**ente Theonino nostros qui rodere Dentes  
Gaudet, & excusas annihilare Theses,  
Dentibus indignus sanè est. At dentibus orbus  
Quænam quæso potest inde referre bona?  
Nulla: sed eloquium derisor habebit ineptum:  
Os deformè: chylum ventriculique malum.  
Namq; cibum dentes minuunt, franguntq;, moluntq;,  
Ut possit Stomachus munus obire suum.  
Hepar ut inde queat roscum generare cruorem:  
Possit & hoc corpus conyenienter ali.  
Ergò facis rectè, Respondens optime, dentes  
Quòd patiare vigil jam studium esse tuum:  
Quòd flocci pendas dentes qui dente maligno  
Rodunt, & pretij nullius esse putant.  
Ex minimis etenim divina potentia rebus  
Emicat, & vel dens unicus esse probat  
DIVINUM NUMEN, sapiensq;, potensq;, bonumq;;  
Omnia quod miro condidit ingenio:  
Condita quodque suæ conservat robore dextræ:  
Quodque ea servabit dum vehet astra polus.

**F I N I S.**

